

muratione & contradictione, ut etiam loco ignominiosam nomenclationem induxerint neq; hodie (*) deletam; in ipsam quoq; regionem, quam propter foedam idolatriam incolis primævis vacuefactam toties audierant, ingressi eandem tamen repetentes longè rectius exercebant: Tamen verò salvavit eos, petitis ipsorum annuit, ingluviem saturavit, indignationem & excisionem retraxit, multis vicibus liberationem repetit, afflictiones ipsorum astumavit, orationem exaudiit, juramenti ac foederis sui recordatus pœnituit, & pro immensâ suâ misericordia in gratiam recepit. Quia ergò salvos eos toties fecerat, & ex varijs nationibus captivos & vagatos collegerat, meritò confitebantur Nomi ni ipsius sancto, & gloriabantur in laude ejus, dicentes: *Benedictus Dominus Deus Israël à seculo usq; in seculum*,
& dicat omnis populus, Amen, Hallelujah!

Deniq; *Psalmus*, in hác quidem classe & dispositione nostrâ, *ultimus* continet & præscribit orationem Eucharisticam *sextuplici*, si B. Lutherum sequimur, *hominum afflitorum generi*, cui elegantissime non unâ vice interseritur *versus*, uti vocant *Veteres*, *intercalaris*, vide licet *vv. 8, 15, 21, 31*: *Prima* ergò *classis* est eorum, quos Deus fameliciq; periclitatos & vixi quærendi caussâ oberrantes ab erroribus solitudinum liberavit & ad mansiones hominum reduxit. *Secunda* horum, qui, cum scelerâ propter & flagitia sua manicis pedicisque constricti in squalidis carceribus attinerentur, ad Deum clamantes fuerunt liberati. *Tertia*, qui ijsdem ex caassis lecto letali affixi usq; ad portas mortis pertigerant, sanitati tamen & vita diuturniori fuerunt restituti: ubi per missionem *Verbi* nonnulli intelligunt *nutum* seu *voluntatem Dei*, non absurdè tamen & rectius indicari dixerimus *λόγον* sive *Filiū Dei*, qui est noster Medicus, qui sanat omnes languores nostros atq; infirmitates: Et sic reddidit quoq; b. l. & v. 25. *Tartum*

(*) Par est ratio μεσχολατρέιας, de qua Moses Gerundensis, *Non est tibi, Israël, ultio, in qua non sit uncia de iniquitate Vituli*, citante Paullo Fagio & B. Luthero im Briefe wider die Sabbater Tom. VII. Jen. §. Etliche ihrer Rabinen &c.